cum reliquarum curſum tenere non poſſet, Antonii Canalis triremis in hoſtium poteſtatem venit. His ſucceſſibus elatus Dragutes in Cretam iter intendit, ac prope Cydonem militibus expoſitis, incendiis, ac direptionibus agros vaſtavit: verum Antonii Calbi Conſiliarii virtute, Epirotarum equitum, atque incolarum manu collecta, impetu in hoſtes facto, non ſine plurimorum cæde, ad triremes ſe recipere coacti fuere. 1539

Antonii Canalis triremis a Dragute capta.

Dragutes ad diripiendam Cretā profectus, ab Antonio Calbo rejectus eſt.

Laurentius Gritus VII. idus aprilis Byzantio revertitur, quæque a ſe acta eſſent, Patribus retulit; ſe Janusbejum conveniſſe, ab eo ad Ajacem Baſſam perductum: illum de iis, quæ a Venetis adverſus Suleimanum geſta fuerant, graviter expoſtulaſſe; cur a Senatu legatus non mitteretur, ſciſcitatum. Ad hæc Gritum, quæ acciderant, miniſtrorum imprudentia, Republica invita, contigiſſe: a legato mittendo ob fœdus, quod illi cum Chriſtianis Principibus intercederet, abſtinuiſſe: verumtamen ſi per inducias arma inhiberentur, legationem propediem venturam arbitrari. Verum Ajacis animum haud levis ſuſpicio invaſerat, ne induciarum beneficio ad Suleimano illudendum Reſpublica uteretur, ut tranſacta æſtate, ex Helleſponto Turcica claſſe non emiſſa, interea majoribus comparatis viribus, una cum ſociis bellum repeteret. Attamen variis hinc atque inde agitatis, in menſes tres inducię pactæ fuere: a XVIII. kalend. aprilis uſque ad XVIII. kalend. julias: mox Petrus Zenus, Byzantium legatus, a Senatu deſignatus eſt. Laurentio Grito, ut de illius adventu Suleimanum certiorem redderet, præire juſſo, in mandatis datur, ut de communibus induciis ageret; eaque in re Rinconii, Galliarum Regis legati, opera uteretur: Reipublicæ legatos e carcere educendos, bona mercatoribus reſtituenda curaret. Statimque de induciis pactis, ac de legatione decreta Pontifex, & Cæſar certiores facti fuere. Pontifex, qui graviſſimis in rebus pertractandis longævam ætatem contriverat, Senatum ad inducias, reſque cum hoſte componendas hortabatur; cum nihil ad opem perturbatis rebus ferendam egregii expectaretur; minime cunctandum, nec tantæ rei, qua ſalus Reipublicæ periclitaretur, indormiendum eſſe: ut Cæſar induciis comprehenderetur, ſibi probari; ſui vero mentionem juſtis de cauſis fieri non poſſe. Cæſari quoque inducię minime improbabantur; cum illius le-

Laurentius Gritus Byzātio reverſus, quæ egerat Senatui exponit.

Inducię trium menſium inter Venetos & Turcas.

Petrus Zenus legatus Byzantium eligitur.

Laurentius Gritus denuo Byzantium mittitur, & Senatus mandata.

Senatus de induciis & legato mittendo Pontificem & Cæſarē certiores facit.